



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||

Ignacio <de Loyola>

Mogvntiae, 1600

VD16 I 56

Contemplatio regni Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45165

HEBDOMADA
SECUNDA.

CONTEMPLATIO RE-
gni IESU CHRISTI, *ex similitudi-
ne Regis terreni, subditos suos euo-
cantis ad bellum.*

ORATIO præparatoria fiet mo-
re supradicto.

Prælium primum ad con-
structionem loci, nunc erit, vt spe-
ctare nos imaginemur synagogas,
villas, & oppida; quæ prædicans
CHRISTVS pertransibat: & sic de
locis aliis.

SECUNDUM, ad gratiam poscendam
pertinens, in hac parte erit; petere
à DEO, ne obsurdescamus vocante
nos CHRISTO, sed ad sequendum, ac
obtemperandum prompti simus.

PUNCTUM primum esto; propone-
re mihi ob oculos, humanum Re-

D gem

gem diuinitus electū; cui Principes, & populi omnes Christiani reuerentiam & obsequiū præstare debeant.

Secundum est; imaginari quod audiam illum Regem loquentem ad omnes subditos: In animo est mihi regiones infidelium vniuersas, ditioni meæ subiicere, Quicumque igitur comitari me velit, paratus sit oportet non alio vti victu, vestitu, rebusque aliis, quam me videntem conspexerit. In iisdem quoque laboribus, vigiliis, & casibus cæteris mecum persistendum erit, vt particeps fiat victoriæ, & fælicitatis, vnusquisq; prout laborum, ac molestiarum socius extiterit.

Tertium est; considerare quidnam respondere debeant Regi amantissimo, & liberalissimo fideles subditi, & quam prompte ad omnem eius voluntatem offerre se accinctos. Contra vero, si quis non obaudiret,

quanto

quanto apud homines vniuersos vi-
uperio dignus esset, atq; quam igna-
uus miles æstimandus.

PARS secunda huius exercitij, con-
sistit in collatione similitudinis
inter dictum regem, & Dominum
IESVM CHRISTVM, circa triplex
punctum.

PRimo, sic applicabimus exem-
plum: Si terrenus ille Rex, cum
bellica sua euocatione, dignus est, cui
attentio, & obsequium præstetur;
quanto magis CHRISTVS Rex æter-
nus, mundoque toti conspicuus,
qui singulos ad se his inuitat verbis?
Mea hæc est iustissima voluntas; to-
tius mundi dominium mihi vendi-
care; inimicos meos debellare o-
mnes; ac ita demum in Patris mei
gloriam intrare. Proinde quisquis eò
mecum venire cupit, laboret me-
cum necesse est: Labori enim præ-
mium respondebit.

Secundum; ratiocinabimur, neminem fore sanæ mentis, qui non cupidissime CHRISTI seruitio se totum offerat, & addicat.

Tertio, iudicandum erit, quòd ij, qui se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos, non seipos tantum ad laborum tolerantiam; verum etiam maiora, & præclariora quædam munera oblaturi sunt; expugnata carnis, sensuum, amorisque proprii, & mundani rebellione. Unde respondebit quisque in hunc ferè modum: En, ô Rex supreme, ac Domine vniuersorum; tua ego, licet indignissimus, fretus tamen gratia, & ope, me tibi penitus offero, mea que omnia tuæ subiicio voluntati: attestans coram infinita bonitate tua, necnon in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiusque curiæ cœlestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum

decre-

decretum, vt (dummodo in maiorem laudis tuæ, & obsequij mei prouentum cedat) quam possim proxime te sequar, & imiter, in ferendis iniuriis & aduersis omnibus; cum vera, tum spiritus, tum etiam rerum paupertate; Si (inquam) sanctissimæ tuæ maiestati placeat ad tale me vitæ institutum eligere, atque recipere.

Fiet bis interdum hoc exercitium; mane, cum primum surreximus, & in hora, prandium, vel cœnam præcedente.

IN hac hebdomada secunda, & subsequen-
tibus, vtile fuerit, aliquid
subinde legere ex Euangelico, vel
pio alio codice; vt de imitatione

CH R I S T I, Sanctorum.

vita, &c.

✠ (o) ✠

D 3

PRI.